

**6431** condotto di piombo lungo palmi 2 onc. 4, ritrovato nel 1725 a Torre Pavola, quando Monsignor Colligola Tesoriere fece raccomodare il lago, donatomi dal medesimo il dì 20 Dec. 1726 GHEZZI. Romae in museo card. Albani MVR. Hodie in Capitolino.

REI · P · CIRCEIENS

Descripsit Henzen. Ghezzi miscellanea di cose antiche (cod. Ottobon. 3109 f. 136); Mur. 1038, 8 a Blanchinio; Marinius ms. REIPUBLICAE CIRCEIENTIVM Ghezzi.

**6432** ad S. Felicis rep. alla fontana di mezzo monte sotto il Monte delle tre Croci in contrada il Brecciaro in vinea d'Antrassi; hodie in fenestra domus eorum.

CORNELIA · A  
NTHVSA · IVNI  
AE · PRIMAE · M  
AMMVLAE · SV  
5 AE · VERAE · MATRI  
IVC · DVLC · SINE · LITE  
VIXIT · ANN · LXXXII

Descripti. Memorat, non edidit Ios. Capponi *il promontorio Circeo* (1856) p. 405.

**6433** Circeiis nuper reperta VULP. (a. 1732); prope Circeum montem BALD.

HORAEA  
LEPIDI · L  
PHLOGENES

Vulpius Lat. 5, 84 (inde Mur. 1686, 7); Baldanius per Gallettium misit Gorio cod. Maruc. A 77; Marini ms. manu fortasse Giovenazzii.

1 sic Vulp., HORREA Bald. Mar. — 3 nexus servavit Vulp.

**6434** prope Circeum montem.

D M  
LAMYRVS · MARCELLAE  
LIBERTAE · SVAE · QVAE  
VIXIT · AN · PL · MIN · XVIII  
5 B · M · F

Baldanius per Gallettium misit Gorio cod. Maruc. A 77; Marini ms. manu fortasse Giovenazzii.

## LXXXVI. PRIVERNVM (*Piperno vecchio*). *Tribu Oufentina.*

Privernates, quae gens fuit omnino Volsca (Vergilius Aen. 7, 685. 41, 540 cum schol.), quamquam ipsis Volscis interdum opponuntur (Liv. 8, 1; cf. ad Strabonem adscripta 5, 3, 4 p. 231), colonia Latina deducta. Setiam a. u. c. 372 contra Romanos arma sumpsisse consentaneum est, narrantque annales bellum cum eis gestum esse bis, primum a. 396. 397, quo C. Marcus Rutilus de iis triumphavit (Liv. 7, 45. 46; Dionys. 14, 13; tabula triumphalis ad a. 397), deinde a. 425, quo de iis item triumpharunt consul uterque C. Plautius Decianus et L. Aemilius Mamerinus, hic adeo a capto oppido Privernas appellatus est (Liv. 8, 19. 20; tabula triumphalis ad a. 425). Nam tertium bellum a. 412. 413 (Liv. 7, 42. 8, 1) hodie plerique consentiunt idem esse errore huc relatum propter similia nomina consulum a. 413 et a. 425. Privernatibus post bellum a. 413 duae agri partes ademptae esse dicuntur (Liv. 8, 1, 3) et a. 414 civibus Romanis una cum Latino et Falerno divisae (Liv. 8, 11, 13), post bellum autem a. 425 gravissimis poenis exactis a senatoribus Privernatibus (Liv. 8, 20. 21; Val. Max. 6, 2, 1; cf. Dio fr. 35, 11) ex auctoritate patrum latum ad populum esse, ut Privernatibus civitas daretur. Illa narratio de agro diviso loco mota esse videtur propter narrationem belli a. 412. 413 ficticiam et vere pertinere ad a. 436, quo instituta est tribus Oufentina coepita ab agro Privernate teste Festo p. 194: *Oufentinae tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens (hodie Amaseno) quod est in agro Privernate mare intra(?) et Tarracinam. Lucretius [immo Lucilius]: Priverno Oufentina venit fluvioque Oufente. postea deinde a censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti.* Tribus ea postea quoque Privernatum mansit testibus titulis infra relatis n. 6447. 6457 et matricula urbana (VI, 3884 II, 36: *C. Mollius C. f. Ofen. Noetus Priv.*). Praedia in ea tribu eo tempore censa sine dubio illa ipsa sunt, quae tum civibus Romanis in agro Privernate adscriptabuntur, id quod de agro Falerno simul diviso tribuque Falerna simul instituta supra p. 365. 460 docuimus. Privernatibus quae relicta essent, tum Romae censa esse non est verisimile; nam meliore iure ii esse non potuerunt quam fuerunt eo tempore

Formiani (p. 602) et Fundani (p. 617), id est civitatem acceperunt sine suffragio; itaque praedia eorum non fuerunt censi censendo. Post id tempus praefectus ibi ius dicebat (Festus s. v. p. 233) prodigiaque procurabantur Romae (Cic. de div. 4, 43, 97; Liv. 27, 11, 4. 31, 12, 5. 42, 2, 4; Obseq. 14. 36. 38). Plenam civitatem utrum ante obtinuerint an bello demum Italico, ignoratur. Privernum medium inter Appiam et Latinam (Strabo 5, 3, 10 p. 237) raro deinceps memoratur (Cicero de l. agr. 2, 25, 66; Plinius 3, 5, 64; Ptolemaeus 3, 1, 63 cet.), quaque condicione Privernates posteriore aetate fuerint, parum constat. Nam in libro coloniarum p. 236 quae de Priverno inveniuntur: *Privernum oppidum muro ductum: colonia: miles deduxit sine colonis: iter populo debetur ped. XXX: ager eius pro parte cultu [immo cultura] in iugerbis est adsignatus, ceterum in laciniis vel in soluto remansit,* non maiorem fidem habent quam reliqua ibi relata. In titulis denique nullum subsidium est; magistratus enim oppidi nullos adhuc prodiderunt, etsi *sexvir Augustalis* est n. 6444, *sacerdos Isidis* n. 6445, *sacerdos (Liberi)* et *pater* n. 6435. *Colonia* autem Privernum quod fuit saeculo quarto (n. 6440. 6441), inde de antiquo statu non deciditur.

Privernatia epigrammata primus sibi comparavit SMETIVS duo excepta ab Ioh. Bekano Batavo. LIGORIVS quae sub eo nomine proposuit, ficticia sunt omnia; Theodori VALLE autem Privernatis libri duo *la regia et antica Piperno* (Neapoli 1637. 4. pp. 292) et *la citta nova di Piperno* (Neapoli 1646. 4. pp. 402) toti in nugando se continent, ab inscriptionibus abstinent. Sub finem deinde saec. XVIII Paschalis ZACCALEONI et titulum n. 6437 edidit in commentariolo ad eum citato et alias domi sua collocavit. Hoc autem saeculo et Hieronymus AMATI Privernatia quaedam epigrammata accepit alia ab Augusto Zaccaleoni, alia a Puccio; et Iosephus MAROCCHI cum in libello qui inscribitur *descrizione topografica e cenni storici di Piperno* (Romae 1830. 8. pp. 30) tum in monumentorum regni pontificii vol. 4 (1834) p. 162 quaedam edidit; et collegit titulos Privernates mihique Piperni moranti exhibuit sacerdos Vincentius OLIVA.